

GLOSSARIJ LATINI SPECIMEN

EDENTE

FRIDERICO OSANNO

PROF. ELOQ. P. O.

q u o

RECTOR

ACADEMIAE LUDOVICIANAE

SOLEMNIA

NOVI RECTORIS

RITE LEGENDI


D. XXIX. SEPTEMBR. CELEBRANDA

INDICIT.

GISSAE

M D C C C X X V I.

15



Quod Lexicorum Graecorum e codicibus ms. cum ab aliis tum a me potissimum descriptorum Corpus passim et pluribus iamiam abhinc annis significavi in lucem aliquando me editurum esse, quippe quo non modo ad emendandam et supplendam Lexicorum antiquorum dudum typis mandatorum scripturam subsidia nova et copiae continerentur, vero etiam inedita quaedam Glossaria et rerum tractatarum novitate et singulari verborum significatione insignia vulgarentur, unde cognitio litterarum antiquarum haud paucos neque exiguos fructus atque emolumenta caperet, id quum in eo iam sim, ut ex scriniis depromere instituam, non alienum ab hac re mihi visus sum opus facturum, si, oblata hac scriptionis publicae opportunitate, qui sine liberalibus studiis ad virtutem perveniri posse cum Seneca negant, eos consilii mei denuo commonefacerem iisque opus non sine labore multoque sudore confectum commendarem. Speciminis igitur loco, quae nunc edo Glossarii Latino-Graeci apospasmata, haberi volo, non quo rationem Lexica mea tractandi ante oculos omnium ponam, sed quo eos, quorum interest, certiores faciam de voluntate mea operis inchoati quantocius pertexendi. Excerpti fragmenta illa, quae confestim sequi iubeo, adnotatione mea qualicumque aucta, ex codice Bibl. Parisiensis 7651 spisso, qui aliquando accurate tractetur, tanto magis digno, quanto Glossarium, quod eo continetur, non solum propter vetustatem membranae, qua scriptus est, sed etiam propterea maxime commendatur, quod permultae in eo reperiantur glossae, quae aut in Labbei Collectione plane omittuntur, aut siquidem exstant, saepenumero huius Glossarii demum ope emendari possunt. Quod vel pauca haec specimina testari possunt, quae in transcurso ex codice a me descripta, eo magis consilio nunc publici iuris facio, ut virorum, quibus illos adire licet fontes, attentionem excitem, quam ut ex his a me nunc vulgandis credam ingens litteris bonis redundaturum esse

emolumentum. Est autem hoc idem Glossarium, cuius binis locis in Auctario Lexicorum Graecorum mentionem feci: neque falli me crediderim, quum id ab illo diversum esse nego, ad quod notis ad Festum Ios. Scaliger passim provocat, quodque hac laude non erubuit extollere: „Huic coniecturae fidem facit Glossarium illud non satis laudatum, et quod magistellorum manibus teri non debet, sed tantum a doctioribus nocte et die versari.“ Tam autem fragmenta a Scaligero praelibata meis contuli, quam Labbei glossas, quarum scriptura, ubi discrepabat, diligenter annotata est. Atque ibi praeter duas glossas (vv. *aramularius* et *arina*) omnes observavi occupatas. Verum codex membr. forma, quam dicunt quartam maiorem, meo quidem iudicio, si non nono saeculo scriptus est, infra decimum saltem non deprimendus videtur. Exaratus est codex Graecis litteris uncialibus formae, ut appellant, rotundae, Latinis, si bene memini, minusculis. Caeterum codice nostro an ii, qui utriusque linguae glossas in unum corpus et Parisiis quidem collegerunt, H. Stephanns, Bonaventura Vulcanius, denique Labbeus (1), usi iam fuerint, haud liquet accurate: sin autem factum, tanto maiori hunc codicem nunc cura dignum videri, fatendum est, quanto diligentiore manum in eo excerpendo adhuc desideraveris.

GLOSSARII LATINO-GRAECI PARISIENSIS FRAGMENTA.

- F. 4. b. 1. *Adfatio*: ἐπίλογος, πρόφασις, προσομιλία, ὡς Πλούσιος.
 F. 6. b. 2. *Adsubrigenda*: εἰς ὑπόρθωσιν τιμωρίας. *Liber de officio proconsulis.*
 F. 10. a. 3. *Acactum*: ἄκανθα, ὡς Λουκιανός.
 b. 4. *Acieris*: ἀξίνη ἱεροφάντου, ὡς Πλαῦτος.
 F. 13. a. 5. *Ambactus*: δοῦλος, μισθώσις, ὡς Ἐννιος.
 F. 15. a. 6. *Angla*: ὄγες, τράπεζαι τρίγωνοι, ὡς Νέβιος.
 F. 16. a. 7. *Anserarius*: χηνοβοσκός.
 8. *Aplustra*: πτερόν πλοίου, ὡς Ἐννιος.
 9. *Appria*: εἶδος σκεύους, ὡς Πακούβιος.
 10. *Aprtra*: ἀμπελόφυλλα, ὡς Τιτίνιος.

11.

(1) De subsidiis, quae in usum adhibuerunt illi, haud facile hodie pervesti-

gandis vide Fabricii Bibl. Graec. T. VI. p. 635. ed. Harl.

11. *Aramularius*: ἀπὸ τῶν ἀντεπιτρόπων. *Liber de officio proconsulis.* F. 16. b.
12. *Arbareae scodales*: οἱ περὶ ὄρων διαγινώσκοντες δικασταί. *Liber de officio proconsulis.*
13. *Atriensis*: διαιτῆριος, διαιτάρχης. *Liber de officio proconsulis.*
14. *Aquilum*: μέλαν, ὡς Λουκιλλίος. F. 18. b.
15. *Atellani*: σκηνηκοί, ἀρχαιολόγοι, βιολόγοι F. 20. b.
16. *Aroscit*: πλανᾶλαι, ὡς Λίβιος. F. 21. b.
17. *Arillator*: ἐψέτης, βωμοφόρος, πραγματευτής. F. 22. b.
18. *Arina*: μήτηρ, κατὰ Βάρρωνα.
19. *Bellonarii*: οἱ θεοφορέμενοι. *Liber de officio proconsulis.* F. 27. a.
20. *Glos*: ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἀδελφή, γάλως, παρὰ Πλαύτω. F. 32. b.
21. *Glumea*: χλωράς, ἀδελφή γαμετή, ὡς Πλαύτος.
22. *Gulliocae*: κέρυα ἄκρα, παρὰ Λουκειλίω. F. 34. b.
23. *Guturnium*: βαθμός, προκοπή, ὡς Βάρρων.
24. *Derectarii*: εἰσπηδησιῶνες. *Liber de officio proconsulis.* F. 39. a.
25. *Delatio*: ἀναφορά. *Liber de officio proconsulis.* F. 40. b.
26. *Muttonium*: προβασκάνιον. Λουκιλλίος. F. 134. b.
27. *Pitana*: ἀλαπη, ὡς Κικέρων. F. 154. b.
28. *Defoventum*: κεφαλαία, παρὰ Θλησιονῶ.

ANIMADVERSIONES.

§. 1.

Codex ΣΠΙΛΟΓΟΣ· ΠΡΟΦΙΣΠΡΟΣ ΟΜΕΙΛΙΑΝΩΣ &c., quae ad Glossas Labbei correxi. Crediderim tamen πρόσφασις legendum, quamquam haec vox in Lexicis adhuc desideretur. Et ipsa vox *adfatio* a Lexigraphis (2) adhuc praetermissa est. De *Plusio* auctore statim commemorato non liquet. Gl. Labb.

(2) Erunt qui novam hanc inauditam adhuc vocem mirentur: nec tamen miri in ea quicquam inest, quum a λέξις recte descendat. Λεξιγράφος igitur, quod vocabulum in Tzetzae Exegesi Pliadis p. 101, 21 legitur, is qui περὶ λέξεων agit. Etenim vocabuli λεξικόν usus recen-

tissima demum aetate percrebruit (v. ad Philemonem p. XIX), neque, ut libere fateor, qui voce λεξικογράφος usus sit, auctorem proferre habeo, haud magis quam qui γλωσσογραφικός, cuius loco γλωσσογράφος in usu erat. Neque Latini *Lexicon*, nedum *Lexicographus*.

Labb. *πλουσος*, vix nomen Latinum proprium: illam certe formam quodammodo munit nomen *Plusias* apud Gruterum p. DCLXXXI, 6. Possis suspicari, *Plautium*, comoediarum scriptorem, dici, de quo Gellius III, 3: sed ne hoc quidem nomen a suspitione liberum videtur. V. Anal. critica nostra p. 153.

§. 2.

In Codice TIMOPIAC: reliqua ut Gl. Labb. Vox *liber* hic et alibi in Cod. hanc fere formam habet LIB}, et *officio* scribitur OFFO. per compendium haud insuetum. Recurrit in codice Gaii Veronensi: vide Goeschenii editionem alteram p. 461. Et Valerius Probus de notis p. 1469. ed. Godofredi iam OFF. pro *officium* scribi annotaverat. Caeterum *Librum de officio proconsulis* in his fragmentis septies sine auctoris nomine laudatum Ulpiani esse, ad §. 24. demonstrabitur.

§. 3.

Pro ΑΟΤΚΙΑΝΟC vix dubito quin ΑΟΤΚΙΑΑΙΟC reponendum sit, lenissima mutatione. Praeterea etiam ipsa vox *acactum* suspecta videtur: latet enim, nisi fallor, aut *acanthus*, aut *acanthium*, nisi forte insolens forma *acanthum*.

§. 4.

Codex *acceres*. ΑΞΕΙΝ. ΙΕΡΟΦΑΝΤΟΥ. Repositum suggestere Glossae Labb., firmatque Festus: *Acieris, securis aerea, qua in sacrificiis utantur sacerdotes*, ubi v. Dacerium. Eo magis autem glossa nostra advertenda, quo qui ex Plauti fabulis deperditis fragmenta novissime collegit, Bothius in priori certe editione, qua sola utor, vocem illam praetermisit omnino. Hoc loco non possum quin, occasione ultro oblata, Plautum alio augeam fragmento, quod, ut alia quoque, ad hunc usque diem neglectum est. Vincentius Bellovacensis Spec. Natural. XVII, 94. ubi de Harpyis: „Harpyiae quaedam aves maxime, quae numquam saciantur manducando. Plautus in Aulularia: *Harpyiae digitos ad praedam exacuunt: curvis timdos [sic] unguibus super mensas advolant. et quod contingunt auferunt; quod relinquunt polluunt. Ex libro de natura rerum.*“ Hunc librum de *natura* (vel etiam de *naturis*) rerum passim Vincentius laudat: cuius sit, me latet. Illud Plauti fragmentum in edita Aulularia non exstat, neque inter eius fragmenta occurrit.

rit. Sed potest suum sibi locum in ipsa fabula vindicare, videlicet ex ore Euclyonis avari senis prolatum.

§. 5.

Hanc ipsam Codicis Parisiensis glossam respicere videtur Ios. Scaliger ad Festum v. *ambactus*. De origine magis quam de notione v. *ambactus* V. D. in partes longe diversas discedunt, videlicet Gallica utrum sit, an Latina: vide Festi interpretes et praecipue Morum ad Caesarem de B. G. VI, 15. Mea quidem sententia, quam Dacerius ad Festum occupavit, veri videtur similis, *ambactus* (h. e. *circumactus*) meram esse Latinam vocem quam extraneam et Gallicam quidem, praesertim si verum est, quod iuxta nostrum glossatorem Festus quoque asseverat, ea Ennium iamdum usum esse. Contra statuerim ex Latio potius eam in Galliam transmigrasse, atque hinc demum ortum esse mediæ aevi vocabulum *ambaht*, quod ministri significationem habere narrant.

§. 6.

In his tam *angla*, quam ὄγες inauditum adhuc est: cum hoc tamen vide an comparandum sit ὄγχοι.

§. 7.

Vocabulum *anserarius* Lexicis addi potest. Haud male fortasse suspicere, si hoc loco agi de iis anserariis cogites, quorum curae anseres in Capitolio publice alendi mandati essent. V. Plutarch. de fort. Romanorum p. 325. ed. Frcf. Lambin. ad Cic. pro Rosc. Am. 20. Denique de v. χηνοβοσκός adeas Schovium de chart. papyraceis Musei Borgiani p. 100.

§. 8.

In Ennii Annalibus, anno proximo cura E. S. Icti editis, profertur hoc vocabulum ad VII, 50. p. 98, excitatum ex Glossario Benedicti, glossam nostram ad verbum referente. Eodem spectare videtur Glossarium antiquum in Hafniensi bibliotheca servatum, necumque ab Olao Blochio, viro eruditissimo mihiq; amicissimo communicatum: *Amplustra: ornamenta vel armamenta navis*. Et hanc ego originariam censeo vocis origine Graecae scripturam, cuius prima syllaba ex ἀμφί, ut videtur, facta est, ut in v. *amfractus*. Nam prima syllaba, plerumque producitur; correpta legitur apud Ciceronem in Arateis apud Priscian. VII. p. 769. Putsch.

Navibus absumptis fluitantia quaerere aplustra, (3)

et alios. Nimirum *amplustre* cessit paullatim in molliorem formam *aplustre*, in qua nihil impediēbat, quo minus prima syllaba, si usu veniret, corripereetur. Retinent tamen, ubi prima producenda est, codices praestantiores antiquam scripturam *amplustre*, ut in Silio l. c. Lucano III, 585. 672, ubi v. lectionis varietatem a Frid. Webero congestam. *Aplustre* autem quid sit, omnium optime Scholiasta Iuvenalis explicuit X, 136: *tabulatum, inquit, ad decorandam superficiem navis appositum, alii dicunt rostra navis, ornamentum puppis, ἄφλαστον*. Plura interpretes Silii l. c., quae referre tacet. Glossator caeterum noster quum voce *πτερόν* ad illustrandum *aplustre* uteretur, haud accurate egit: *πτερά* enim, quum de navium armamentis dicuntur, vela plerumque significant: v. Syllog. inscr. p. 84.

§. 9.

Appia sine dubio vitiosum. An *applare*? Isidorus Glossis: *Applare, cochlear*. Vel fortasse rectius admovebuntur Lydi de mens. p. 11 verba: Ἰστέον δὲ Ῥωμαίοις τὸ κανῶν ἐπὶ μὲν ἰῶν ἱερῶν σατούραν, ἐπὶ δὲ τῶν εὐτυχιῶν ἐπουλαρίαν, ἣν ἀπαλαρίαν οἱ πολλοὶ ἐξ ἀγνοίας προσαγορεύουσιν, ἐπούλας γὰρ τὰς εὐωχίας Ῥωμαίοις ἔθος καλεῖν.

§. 10.

An forte *apia* et mox ἀμπέλου φύλλα legendum? Vox ἀμπελόφυλλος certe in Lexicis desideratur.

§. 11.

(3) Krehlius nuper T. I. p. 342 *assumptis* edendum curavit, lectore non monito de lectionis novae origine et auctoritate. Auctorem ei indicabo Tortellium grammaticum, de quo eiusque opere v. Praefationem ad Apuleios grammaticos propediem edendos: qui in libro de Orthographia fol. 40 verso iam *assumptis* praebet. Id tamen perperam: *absumptis* enim recte habet, modo mecum *submersis* interpretare, ut Suetonius Iul. 25: *classe vi tempestatis prope absumpta*. Et de naufragio sermonem esse, fidem facit geminus Lucretii locus II, 552:

Sed quasi naufragiis magnis multisque coortis

disiectare solet magnum mare transtra, gubernas, antennas, proram, malos, tonsasque natanteis, per terrarum omneis oras fluitantia aplustra.

Neque praetereundus est de naufragio locus Silii X, 325, inprimis hic comparandus:

iamque per undas et transtra, et mali, laceroque aplustria velo, ac miseri fluitant revomentes aequora nautae.

§. 11.

Horum ego nil plane intelligo, quod non mirum propter vitium voci *ar-
mularius* inhaerens, quod demere equidem hand sustineo. Neque de sensu v.
ἀντιτροπος antehac non observatae melius constat. Et deest haec ipsa glossa
apud Labbeum.

§. 12.

In his licet nonnihil mendosis nemo erit quin *arvales sodales* statim re-
cognoscat, de quibus ut nihil nunc dicam neque de numero fratrum arvalium,
de quo disputaverunt interpretes Festi v. *ambarvales hostiae*, neque de eorum
in rebus agrariis iudicio, hoc unum res flagitat commemorare, glossam nostram
totidem litteris inter Labbeanas atque a Passeratio *de litterarum inter se
permutatione*, p. 101 (nisi quod hic rectius *sodales*) referri, quae, quum esset
manifestis verbis de fratribus arvalibus tanquam de iudicibus finium regundo-
rum concepta, Cuiacio Obs. X, 34 p. 340 et XI, 5. p. 352 ansam dedit, ut hanc
iudicii facultatem iis tribueret. Quam opinionem posthac argumentis sane
speciosis improbarunt Marinius *Atti e monumenti de' fratelli Arvali*, T. I.
p. XIV. et Ruhnkenius *Antiquit. Rom. part. VII. p. 10*, quamvis renitente do-
ctissimo harum Antiquitatum editore, Eichstadio, sibi que Cuiacii sententiam,
iustis quidem finibus circumscriptam non displicere annotante. Post talium
virorum sententias si fas est, et meam interponere, libere fateor, tam impe-
ditam mihi non videri illam quaestionem, quin quodam modo solvi queat.
Quum enim in illa glossa nihil insit, quod nativa aliqua suspicione prematur,
id tantum quaerendum, an quum seriori aetate, quod ex Agrimensorum prae-
sertim scriptis abunde demonstrari potest, collegio fratrum arvalium nullus
prorsus iuris dicendi locus in re agraria relictus sit, immo eorum ne nomen
quidem amplius reperiatur, idem etiam ad prima rei publicae tempora perti-
neat: quod equidem pernego. Nam quo utuntur argumento nostrae senten-
tiae adversarii, scilicet ex lege XII tabularum sumpto, secundum quam in con-
troversiis de finibus regundis *arbitri* capiendi sint, id ipsum tantum abest ut
nostram opinionem evertat, ut contra nihil impediatur, quominus ita de hac re
statuamus, quum primum ius finium apud fratres arvales fuisset, id ex quo
latae XII tabularum leges essent, ad *arbitros* transiisse.

§. 13.

De Atriensibus diaetariorum munere fungentibus cf. Taubm. ad Plaut. Pseud. II, 2, 14 et Wunderlich. *de usu inscriptionum Roman. veterum in iure*, Quedlinburgi 1750. 4. p. 94. seq. De *diaetarcho* vide marmor Capitolinum ad Apuleium grammaticum p. 51. editum. Caeterum glossam nostram in Auctar. Lex. Graec. p. 49 iam vulgatam reperies.

§. 14.

Codex ΜΕΛΑΝΟΝΩΛΟΤΚΙΑΛΙΟC. Nostram glossam, qualem ad Gl. Labb. correxi, recitat Scaliger ad Fest. v. *Aquilus*, de cuius vocis significatione legenda affert Forcellius h. v.

§. 15.

De *σκηνικοῖς* dixi in Sylloge inscriptionum. Ἀρχαιολόγοι ii videntur intelligi histriones, quorum res maxime ferebat, dum nova instituta et mores reprehenderent, antiqua semper commendare: quo sensu fere ἀρεταλόγοι et ἡθολόγοι dicuntur. Harum personarum exempla passim etiam apud Plautum obvia. Non abludunt Aristophanica illa Nub. 813 ὅτι παιδάριον εἶ καὶ φρονεῖς ἀρχαιικά. Eodem sensu Gregorius carmine adv. episcopos, quod Tollius Itinere Italico p. 22 edidit, ἀρχαίως φρονεῖν dixit. De βιολόγοις egregie disputavit Iacobsius in Wolfii Anal. litt. I. p. 106. Quam pone hanc vocem lacunam sequi iussi, ea in codice suppletur ΩCΔΕΟΒΟΙ.ΔΙΟCΟΜΗΡΙCΤΗΝ.ΔΗΤΟΙ.ΝΤ.ΧΟΡΟΙ, quae pro aenigmate mihi fuerunt; quare quum Oedipus non sim, inani ea in nota, quam in contextu exponere. Neque multo aliter ea Labbeus: ὡς δὲ ὀβοίδιος, ὀμνηριστην δειτοι νυχόροι. Videant acutiores.

§. 16.

Haud magis quid *aroscit* sit, assequor. *Livius* haud dubie Andronicus ille intelligendus est.

§. 17.

In Auctario Lex. Graec. p. 43 monui legendum videri *ariolator*. Post *πραγμαλευής* apud Labb. additur *μετάβολος*. Pro *ἐψέτης* nescio an legendum *ἐψητής*: Isidorus Glossis: *Ariolator, cocio, ὁ μεταβολεύς*. Idem alibi: *Cocio, arilator*. Festus: *Arilator qui etiam cocio appellatur &c.*

§. 18.

§. 18.

Non exstare videtur glossa apud Labbeum, neque invenio vocem apud Varronem. Lexica Latina v. *arina*, quae valde vereor ne corrupta sit, non habent.

§. 20.

Codex ΠΑΕΤΤΩ, quod secundum Glossas Labbei correxi: ac sic glossam citat Scaliger ad Festum v. *glos*. Caeterum hic Plauti locus inter fragmenta eius a Bothio collecta haud magis reperitur quam qui in glossa sequenti laudatur: quamquam hic a corruptela scripturae excusationem habere potest.

§. 21.

Glumea vox nihili, quam Lexica non agnoscunt: nec tamen aliter Gl. Labb. Quae observatio pariter ad *χλωράς* pertinet.

§. 22.

Cod. *Gutulliocae*; Gl. Labb. *qutilli oncae*. Utrumque perperam. Veram lectionem restituit Scaliger ad haec Festi verba: *Gulliocae nucum iuglandium summa, et viridia putamina*: unde etiam pro *μακρα*, quod cum Codice Gl. Labb. tuentur, *ἀκρα* confidenter correxi, quod miror Scaligerum fugisse, qui contra *καρυτόμιζ* legendum commendat. Denique Cod. et Gl. Labb. *κάροια*.

§. 23.

Glossam affert Scaliger ad Festum v. *gutturnium*. Varronis locum invenire haud contigit.

§. 24.

Codex cum Gl. Labb. *defectarii*, quod tamen ab alio glossatore Labbei *derectarii*, *εισπηδησιῶνες* exhibente in integrum restituitur, idem iam monente Cuiacio Obs. X, 34. Vide etiam Cangium v. *derectarii*. Sed haec vox an recte habeat, aliquot Digestorum locis obvia, a iurisconsultis summa contentione disceptatum est: ex quibus, ut superiorum sententias nunc satis explosas mittam, Pernice, apud Hallenses iuris interpretes, nuperrime exstitit, qui peculiari scripto (4) de hac hominum classe sic post alios rursus statuit, ut *directariis* vel *derectariis* potius *diaetarios* substituendos esse dicat, quo nomine ii servi
appel-

(4) De furum genere, quod vulgo *directariorum* nomine circumfertur, Goettingae 1821.

appellentur, qui coenaculorum custodiam ad modum atriensium et cubiculariorum aliorumque eius generis habuerint. Scilicet in hos, si quid erga heros deliquissent, latas illas esse leges et poenas quarum in Dig. mentio fiat. Quanto autem rectius Pernicius *diaetariorum* nomen et statum interpretatus est, eo magis improbanda eius est sententia, in *directariorum* locum hos promovendos esse praecipientis. Tota enim eius disputatio cum alias ob causas, tum ob hanc cum maxime uno veluti ictu concidit, quod homines isti, quocumque eos appellaveris nomine, ex servorum familia esse non potuerint, id quod aperte docent Digestorum loca. Quod ut quisque, modo Dig. verba attente examinet, facile intelligit, ita non opus est post Dieckium, acerrimum Pernicianae sententiae censorem (5), verba hac de re facere plura. Porro Dieckius, quamquam intelligeret, tenebris istam quaestionem tot tantisque involutam esse, ut vix dispelli possent, tamen, novam expediendi rationem instituire haud veritus, admissa lectione *directarius*, verbisque Ulpiani qui in *aliena coenacula se dirigit furandi animo* potissimum adhibitis, voce *directariorum* pag. 223 censuit inquilinos fures intelligi, sive ipse insulae herus, sive qui in domo habitent de conducto furti nomine teneantur. At non verior caeteris explicandi tentaminibus haec ratio videtur. Primum enim fures utrum inquilini sint, nec ne, quandoquidem non multum interest, ex Dig. locis patet, de inquilinis non modo non agi, verum *directarios* generali de furtibus titulo *expilatoribus*, *sacculariis*, aliis iungi, qui non sint inquilini: neque repugnant verba in *aliena coenacula*, quum post alios Dieckius ipse monuerit, de quovis domicilio, sive conclave singulare sit, sive integra insula, *coenaculum* recte dici. Nullius igitur plane momenti in hac controversia est significatio *coenaculum*. Porro tota de inquilinis sententia Basilii M. loco egregie refellitur, quo *διρεκτάριοι* latronibus iuncti vias potius obsidere quam in aedibus habitare dicuntur. Epistolis enim: *ὅτι πάντα ληστῶν, inquit, καὶ διρεκταρίων πεπλήρωται τὰ τῆς ὁδοῦ*. Haec enim unice vera loci lectio, dum Basileensis editio a. 1551 p. 235 *διακτόρων*, quod absurdum est, pro *διρεκταρίων* exhibeat: genuinam lectionem etiam Cangius Glossar. med. aevi T. II, 1. p. 69. adver-

(5) *Historische Versuche über das Criminalrecht der Römer*, p. 167. Eodem argumento, quo Dieckius, etiam alius

Ictus adversus Pernicium nuper usus est in libello *menstruo*: *Neues Archiv des Criminalrechts*, V, 3. No. 21. p. 513.

adverterat. Deinde quia Dieckius suam in rem utitur v. *decretarius* notatione Ulpiani, ea verendum est ne argutior quam verior sit. In voce enim *dirigere*, unde Ulpianus derivat, nihil omnino inest, quod de *animo furandi* cogitare nos inbeat, ut si *directarius* reapse a *dirigendo* ducendum est, alius intelligi non possit homo quam qui pedem in aliena coenacula dirigat, animo sive benevolo sive hostili. Quo enim animo id fiat, nihil plane refert. Hinc Cicero de div. I, 14 *divinatio fallit fortasse nonnunquam, sed tamen ad veritatem saepissime dirigit*. Itaque repugnante vocis usu, tantum abest, ut ex Ulpiani glossa nonnihil proficias, ut Ulpianum, quum veram vocis potestatem ignoraret, novam invita Minerva periclitatum esse vocis derivationem et interpretationem existimem. Neque ego mihi videor rem iniquam agere, si ineptissimis saepe verborum derivationibus indulsisse dicam non modo Ulpianum, verum etiam reliquos iuris Romani auctores, hoc nomine iam ab aliis nostra aetate, ut par est, notatos (6).

Dieckii igitur commento recte, ut videtur, reiecto, transeo ad eum, qui locum nuper admodum tractavit, Noelkedium (7), qui: „Verbum *directarii*, ait, a *διε* et *ρηγνυμι* compositum esse videtur, significans fures conclavis fores perfringentes et vi praedantes, cui quidem explicationi favere videtur Vet. Gloss. ὁ εἰς τὰς ἀλλοτρίας ἐνεκεν τοῦ κλέψαι ἐπερχόμενος οἰκίας καὶ θυρεπαινοίκτης.“ Hanc sententiam dudum a Salmasio ad Plauti Capt. III, 4, 103 occupatam, posthac ab Ursino Observat. philolog. cap. 7. labefactatam, quamquam tantum abest ut eam recte abiectam pronuntiarim, ut eam si non unice veram, tamen omnium maxime probabilem dixerim, si quis rursus defendere conatur, argumentis, quae adversus ipsam prolata sunt, refellendis supersedere non potest.

(6) V. Hoepfneri Comment. ad Institut. p. 94. ed. sextae et Hugonis Hist. iur. 1824 p. 684. 687. Animi causa relaxandi iuvat ex his veterum iuris consultorum delictis quasdam apponere. Ita fuere, qui familia a fonte memoriae (Fr. 195. § 4. Dig. 50, 16 de verborum significatione), metus a mentis trepidatione (Fr. 1. Dig. 4, 2), divortium a diversitate mentis (Fr. 2. pr. Dig. 24, 2 de divortiis), miles a multitudine vel a

malo (Fr. 1. §. 1. Dig. 29, 1 de testamento militis), testamentum a testatione mentis (Institut. II. Tit. 10.) derivanda ducerent. Quae loca innumera augenda documento esse possunt, quos errorum laqueos induere soleant, qui iuris antiqui cognitionem absque philologia comparari posse opinentur.

(7) Commentatio de cognatione quae inter iuris scientiam et philologiam intercedat, 1824. p. 25.

potest. Cui negotio quum Noeldekus non vacarit, ipse opus aggrediar quamvis arduum, tamen in tot tantorumque virorum certamine perhonestum. Unum autem potissimum interpretationi illi obstare video: Bernegant enim secundum *Digesta effractores et directarios* synonyma esse (8): in quo vereor ne vehementer fallantur. Audi enim ipsa *Digesta*, ubi Lib. I, 47, 18 ex Ulpiani libro de officio proconsulis octavo haec referuntur: *Expilatores qui sunt atrociores fures — in opus publicum vel perpetuum vel temporarium dari solent: honestiores autem ordine ad tempus moveri vel fines patriae iuberi excedere. — Simili modo et saccularii et directarii erunt puniendi, item effractores. Sed enim Divus Marcus effractorem equitem Romanum, qui effracto perforatoque pariete pecuniam abstulerat, quinquennio abstineri iussit provincia Africa, unde erat, et urbe et Italia. Oportebit autem aequae et in effractores et in caeteros suprascriptos causa cognita statui, prout admissum suggerit: dummodo ne quis in plebeio operis publici poenam, vel in honestiore relegationis excedat.* Valde nimirum speciosa haec verba sunt, quibus directarii ab effractoribus sane discernuntur. Sed vereor ut contexta sana sint. Alio enim eiusdem Ulpiani loco, quo directarii pariter commemorantur, effractorum, quamquam commode fieri poterat, immo debebat, nulla fit mentio. Eiusdem operis libro IX in Dig. VII, 47, 11 *Saccularii*, inquit, *qui vetitas in sacculo artes exercentes, partem subducunt, partem subtrahunt: item qui directarii appellantur, hoc est, hi qui in aliena coenacula se dirigunt furandi animo, plus quam fures puniendi sunt.* Denique Ulpianus superiori loco postquam de expilatoribus exposuit, de furum genere loquitur, qui non res aperte et palam expositas, sed quae clausae saccis vel aedibus essent, praedentur: quae furum classis non nisi ad eos pertinere potest, qui claustris vi resignatis vel perforatis furari soleant. Quod glossator ille recte sensit, qui in *Glossis directarius* voce *ὑπερνοκτῆς* interpretatus est. Haec me movent argumenta, ut contexta illa integra esse negem. Non vero quemadmodum ea emendanda sint, sed qua ratione emendari possint, ut demonstrarem, in medium libet proferre quid in mentem venerit. Viderint enim harum rerum arbitri, in *item* an forte lateat

id

(8) Vide Dieck. p. 217.

id est, perfacili litterarum permutatione, cui coniecturae muniendae conferri potest, et et *item*, notante Goerenzio ad Cic. Acad. I, 5, 24 in Mss. passim confundi. Neque abludit aliud formulae *id est* scribendi compendium, *id* exaratum, quod Brunsius ad Terentium p. IX annotavit: ex quo pari facilitate *item* nasci potest. Iam verba *id est effractores* loco suo v. *directarius* explicandae gratia propterea apposita videntur, quod verbum *directarius* si non peregrinum, tamen pro obsoleto habitum sit. Vulgo quidem *id* ignotum non pro fuisse, Pauli locus in Dig. V, 4, 8 docet; non *item* tamen de propria eius potestate atque origine liquebat. Nam alioquin Ulpianus ab inepta illa vocis derivatione abstinuisset. Ac formula *id est*, qua insuetas voces interpretantur, Ulpianus passim usus est: ne multa, vide Dig. XIII, 40, 2: *capsarius, id est, qui portat libros*. Et ut nihil reticuisse sciens videar, quod coniecturae nostrae adversari possit, ipse in medium proferam Basilicorum locum geminum cum illo comparandum. Ibi Lib. LX. Tit. 28. §. 1 Tom. VII. p. 526. verba illa Latina hoc modo Graece facta leguntur: *Και οι τους αλλοτριους συικους ανασχιζοντες, και οι δερεκταριοι και οι τοιχωρυχοι ομοιως κολαζονται. ο δε στρατιωτης τοιχωρυχησας &c.* Nonne dices vocabulo *ομοιως* illud *item* Ulpiani accurate expressum, ita ut non nisi temerarius de mutatione cogitare possit? Tamen aliter habet. *Ομοιως* enim potius respondet verbis *simili modo*, ut ex ipsa vocabuli positione apparet, quum si ad *οι τοιχωρυχοι* tantum referendum esset, scribendum Graece fuisset *και οι δερεκταριοι, ομοιως δε και οι τοιχωρυχοι κολαζονται*. Nec denique multum me morantur Basilicorum Scholia, quibus *directarii* explicantur *οι εθνηκτοι* (9) *κλεπται οι λεγομενοι περσικαριοι*. Tanto minus enim quo sensu vocabulum *persicarius* hic usurpetur constat, quamquam de origine eius dubium esse non potest, quanto *επαξ λεγομενον* est, in Lexicis adhuc desideratum: quicum conferendum erit *περσικιον, persicium*, quo pariter Lexica carent, quod pro sceptro usurpatum esse Io. Laurentius Lydus de mag. Rom. II, 9 auctor est. His igitur, quae opinioni meae obstare videbantur, remotis, quum supra Ulpiani notationem v. *derectarius* usui Latino parum aptam esse dixi, videndum quid usus reapse ferat. Sive enim *derectarius*,

sive

(9) Sic procul dubio corrigendum pro *εθνηκτοι*, quod vulgatur. De permutatione utriusque vocabuli in Mss. cf.

Schweighaetus. Adnot. ad Polyb. XVII, 4, 4. T. VII. p. 314.

sive *directarius* malis, quoniam certum est, a *dirigendo* originem eius petendam esse, Festus statim succurrit in auxilium dicens: *Dirigere apud Plautum invenitur pro discedere*, ubi *discedere* quum a loco alienum sit, *discindere* vel *discidere* legendum esse editores intellexerunt: eodemque modo Salmasius, qui ad Plauti Curc. III. 54 annotat, in libro Ms. apud se revera exstare *discidere*. Atque hunc ipsum Plauti locum Festus respicit:

Clypeatus elephantum ubi machaera dissicit

ubi quum edd. vett. quaedam *diligit*, vix dubium relinquitur quin *dirigit* Plautus scripserit: quae Salmasii iam sententia fuit. Vide Gorallum ad Albinovani Eleg. III, 109, similia ibi cumulantem, veluti Nigidii *gallinam dirigere*, *Titinnii pernam totam dirigit*. Cf. Burm. Anthol. Lat. T. I. p. 275. Perperam igitur Bothius egit, quum ex Festo locum inter fragmenta deperditarum Plauti fabularum referret. Et iuvat apponere verba Flavii Vopisci Probo c. 19 nitori suo in transcurso restituenda: *Addidit alia die in amphitheatro una missione centum iubatos leones, qui rugitibus suis tonitrua excitabant: qui omnes contificiis interempti sunt (10), non magnum praebentes spectaculum quum occidebantur. Neque enim erat bestiarum impetus ille qui esse e caveis egredientibus solet. Occisi sunt praeterea multi, qui diripere volebant, sagittis. Hoc loco diripere quum sensu apto careat, Salmasius veterum aliquot membranarum, quas inter Grutero teste etiam Palatina referenda est, lectionem *dirigere volebant* amplexus, de iis bestiis interpretatus est, quae ex caveis suis in medium amphitheatrum prodire noluisent. Sed praestat, servata nonnullorum librorum lectione *volebant*, in textum *dirigere* suscipere idque de iis feris intelligere, quae ut bestiariorum tela effugerent, arenae aditus vi effringere atque hinc ex amphitheatro erumpere tentarent. *Dirigere* enim pro *se dirigere* praeter poetas an scriptor ullus dixerit, valde dubito: nam quae afferuntur loca Senecae Epist. 53 *protinus per alium**

(10) Palatinus codex quum *posticis* pro *contificiis*, voce arenaria, exhiberet, Salmasius illud praestare ratus, de cavis amphitheatrorum subterraneis intelligendum monuit, quibus belluae custodirentur pariter atque in caveis: inter *posticas* autem et *caveas* distinguendum esse. De quo discrimine quam-

quam dubitari potest, tamen, etiamsi recte haberet, non est hic *posticis* locus, quippe quibus leones si interempti fuissent, tantum abest ut *non magnum* spectaculum, ut *nullum* praebuissent, quoniam qui in *posticis* occiduntur, spectatorum oculis exempti sunt. Quare vulgata mutanda non videtur.

altum ad Nesida direxi, praeciurus omnes sinus et Apuleii Met. II. p. 122. ed. Elmenh. *cominus, si vir es, dirige*, aliam sibi postulant explicandi rationem, ab illa verbi significatione petendam. Denique conferenda in hac quaestione est vox apud Comicos saepissime obvia *dierecte*, cuius vim bene exposuerunt Rostius Plautinor. Cuped. Ferculo III et Lindemannus ad Plauti Captiv. III, 103. Quae omnia si iam vocabulo *directarius* admoventur, haud sinunt de eius potestate dubitare, neque vox utrum *directarius* proferenda sit, an *derectarius*, dubium ullum relinquunt. Denique admissa hac vocis significatione simul intelligitur, qui factum sit ut ea, quam res flagitet saepius apud scriptores legi, tam raro obviam eat: namque eius loco usu receptum erat *effractor*, vel etiam *effractarius*, cuius Seneca Epist. 68 ita meminit: *Furem signata sollicitant; vile videtur, quidquid patet; aperta effractarius praeterit.*

Praeterea in Glossarii nostri loco v. *εισπηδησιών* advertas, in Lexicis desideratum. Simulque ex supra dictis patet, *librum de officio proconsulis* toties in Glossario laudatum probabiliter Ulpiani eum ipsum esse, cuius fragmenta in Digestis servantur.

§. 25.

Tralatitiam v. *delatio* significationem, qua de reorum nominibus deferendis dicitur, a loco nostro alienam esse, demonstrat adiecta interpretatio Graeca, quae illum sensum non admittit. Quare primum de Graeco verbo quaerendum, quo sensu in re forensi reperiatur: nam agi hoc loco de verbo iudiciali, ex adiecta *Libri de officio proconsulis* auctoritate manifestum est. Harpocratio: *Ἀναφορά, τὸ ἀναφέρειν τὴν αἴτιαν τῶν ἀμαρτηθέντων ἐπ' ἄλλους. Δημοσθένης ὑπὲρ Κτησιφῶντος* (11): quae Maussacus ita interpretatur: „*ἀναφορά*, inquit, est ius referendae quaestionis in alium quempiam quam quocum iudicium prius agitatum est, uno verbo relatio criminis, recursus salvus (ut cum pragmaticis loquamur) *le recours sauf*.“ Demosthenis locus laudatus esse videtur de coron. p. 301: *ὑπελείπετο γὰρ αὐτῶν ἕκαστος ἑαυτῷ ἅμα μὲν*
ῥαστώ-

(11) Exscrispsit. hunc locum Phavorinus more suo, sed pleniorē reddit: nam

post *Κτησιφῶντος* addit καὶ Ἰππερίδης ἐν τῷ κατὰ Κένωνος.

ῥαστώνην, ἀμα δ', εἴ τι γένοιτο, ἀναφορῶν, ubi v. Tayl. Et sic ἀναφέρειν passim Demosthenes pro *culpam rei alicui imputare*. Cf. Vales. ad Harpocr. p. 20. et Sluiteri Lect. Andoc. p. 251. seq. Sed hoc significato voces *delatio* vel *deferre* apud Latinos occurrere, inaudita res est (12): immo eius loco Romani *relationem criminis* dicebant, quam Cic. de inv. II, 26 accurate his explicuit: *Relatio criminis est, quum reus id, quod arguitur, confessus, alterius se inductum peccato, iure fecisse demonstrat.* (13) Confer praeterea etiam eundem I, 11, ad quae Marius Victorinus 36. p. 118 ed. Pithoei: *Relatio criminis talis est, si in eo quod fecimus, vicem nos reddidisse dicamus: utputa occidi, quia ille me volebat occidere, hoc ego feci, sed meruit.* Plura idem 152. p. 214. Similia Cassiodorus de tropis p. 338 ed. Pithoei et Isidorus de art. rhet. p. 357. Ad quos rhetores nuper accessit Iulius Victor de arte rhet. p. 32, qui relationem hanc sive adsumptionem relativam, ut appellat, (*constitutionem relatiivam* dicit Marius Victorinus p. 202) ad qualitatem adsumptivam refert. Quaerendum igitur amplius de significatione v. *delatio*, de qua quum dubius haererem, Stickelium, collegam coniunctissimum iurisque interpretem peritissimum adii, qui quo est erga me animo benevolus, hac de re quae sibi viderentur, rogatu meo his exposuit: „Delatio haec ex iure fisci explicanda videtur: quae res, ni fallor, ita se habet. Fideicommissa prioriam tempore et ante quam firma essent, saepe in fraudem legis relinquebantur. Quibus enim non poterant hereditatem vel legata lege relinquebant, si relinquebant, fidei committebant eorum, qui ex testamento capere poterant (14). Id quod non minus sequenti aevo factum est. Eiusmodi fideicommissa, si tacita solum (15) erant, in aerarium et ex constitutione Caracallae

12) *Dilatatum crimen* legitur apud Quintilianum, vereor ut recte: *opus erit tamen*, ait V, 1, 11, *praefatione, qua et ratio reddatur dilati criminis, et promittatur defensio: ne id quod non statim diluemus, timere videamur.* Quo loco quum de dilatione criminis sermo non sit, possis *delati* legendum suspicari: sed neque haec vox locum hic invenire potest, tum quod aliena a loco est, tum quod vocis significatio usu comprobata non videtur. Quare

ego quidem scribendum existimo *diluti*, lenissima mutatione et rei a Fabio tractatae aptissima.

(13) Haec Ciceronis et quae sequuntur verba memorabili lectionis varietate citat Alcuinus Dialog. de arte rhet. p. 364, quam ignoravit aut sprexit nuperus haud admodum diligens Ciceronis operum omnium editor Turicensis.

(14) §. 1. I. II. 23. (de fideicom. hered.)

(15) „Si quis enim palam rogatus et ta-

callae in fiscum cadebant (16); quare et eorum delatores per legem Papiam Poppaeam et posthac (17) praemiis varie constitutis evocabantur. Minimum propositum erat delatori extraneo, h. e., inde a tempore Neronis (18), pars quarta honorum, unde vel quadruplatores nominabantur eius generis delatores; maius et maximum sui ipsius delatori. Illud (pars tertia honorum) heredi fiduciario (19), hoc incapaci, cui hereditas tacita fide interposita vel restituta vel restituenda erat, accidebat, quippe qui praemio haud vulgari ad sui ipsius delationem invitandi essent. Etenim iam edicto D. Traiani significabatur, ut si quis antequam causa ad aerarium deferretur (20), professus esset eam rem, quam possideret, capere sibi non licere, ex ea partem fisco inferret, partem ipse retineret. Idem postea edicto significavit, ut quicumque professus esset, vel palam vel tacite relictum sibi esse, quod capere non posset et probasset ad fiscum pertinere, etiam si non possideret, ex eo, quod redactum esset a praefectis aerario, partem dimidiam ferret (21). Quinimmo heredi eius, qui morte praeventus per angustias temporis se deferre non poterat, deferendi potestas concessa erat, si quidem liqueret, ea voluntate decessisse defunctum, ut deferre se voluerit (22); et Arrianus Severus praefectus aerario, cum eius, qui tacite rogatus fuerat non capienti fideicommissum reddere, bona publicata erant, pronunciavit ius deferendi nihilominus habere eum, cui fideicommissum esset relictum (23). “

„Secundum quid, ut aiunt, incapaces nominatim foeminae erant, cum ante Theodosium II. uxores per leges caducarias decimarias intra certum tantum modum ex mariti bonis capere possent, et solidum nonnisi iure liberorum subnixae (24).
Hinc

cite esset, agitabatur, quid magis praevaleret, utrum id ipsum noceret, quod tacite rogatus esset, an prodesset, quod palam petatum esset: et D. Hadrianus rescripsit, in eo, quod cuiusque fidei palam commissum est, non esse existimandum, fidem suam in fraudem legis accommodasse. “ Fr. 3. §. 1. D. XLIX, 14. (de iure fisci.)

(16) Ulpiani Fragm. XVII. 2. Const. 20. Cod. Th. X. 10. (de petit. et ultro dat.) Fr. 3. §. 4. D. eodem,

(17) Taciti Annal. III. 28.

(18) V. Suetonii Neron. 10.

(19) Const. un. Cod. X. 13. (de his, qui se deferunt.)

(20) Fragm. de iure fisci §. 2.

(21) Fr. 13. pr. et §. 1. D. l. c.

(22) Fragm. cit. §. 1. Si vero defunctus idcirco dissimulaverat, dum rem occultari sperabat, heres eius ultra vulgare praemium nihil consequeretur. Fr. 13. §. 5. et 6. D. l. c.

(23) Fr. 42. pr. D. l. c.

(24) Fr. 18. pr. D. XXXIV. 2. (de auro.)

Hinc Ulpianus (25): Foeminis quoque, quam vis delationibus prohibentur, tamen ex beneficio Traiani deferre se permissum est. Ceteroquin beneficium hoc ad non capientes (26) solum pertinebat et is, qui quasi indignus repellitur, excludebatur ab eiusmodi praemio (27): illi-vero, qui per errorem detulerat, cum capere solidum posset, inconsiderata diligentia non nocebat, si ex eo personarum genere erat, quae ignorare per rusticitatem vel propter sexum foemininum ius suum poterant.“ (28)

Hactenus noster iuris interpres consultissimus, cuius in sententiam statim pedibus ire tanto minus equidem haesitarem, quanto ipsius Ulpiani, cuius *Librum de officio proconsulis* a Glossatore laudatum probabiliter conicias (vide ad §. 24), locus allatus sit, quo *delatio* eo sensu usurpatum sit, si de eadem interpretationis Graecae ἀναφορά significatione liqueret: cui quod conferam nihil habeo nisi illud Demostheus in Spudiam p. 1031: Φιάλην μὲν γὰρ λαβόντες παρὰ τῆς Πολεύκτου γυναῖκος, καὶ θέντες ἐνέχυρα μετὰ χρυσίων, οὐκ ἀνευηνόχασι κεκομισμένοι ταύτην, ὡς ἡμῖν Δημόφίλος ὁ θέμενος μαρτυρήσει, ubi de phiala in censum non inlata sermo est. Neque aptior videtur verbi usus, quo nunciandi vim habet: de quo vide Erfurdt. ad Soph. Antig. 272 ed. min. *Nunciare* enim non idem quod *deferre*: quamquam Stickelius me commode admonuerit, *nunciare* et *deferre* promiscuo usu in Tit. Dig. de iure fisci legi.

Post tantas ambages quid ego sentiam, breviter dicam. Aut enim *relatio* legendum deque criminis relatione intelligendum propono: nam turbatus in codice glossarum ordo nihil impedit, quo minus vocabulum efficiamus, a littera *R* initium ducens: aut, quod fortasse propius ad rem nostram accedit, *dilatatio* mecum corrigas, videlicet de *dilatatione moratoria* accipiendum, cuius Ulpianus ipse meminit in libro secundo de officio proconsulis in Fragmentis iuris Antejustiniani ab Ang. Maio Romae editis p. 36.

§. 26.

Ulpiani Frag. Tit. XV. Quintilianus lib. 8. cap. 5. — Const. 2. Cod. VIII: 58. (de infirm. poen. coel.) Const. 1. Cod. VIII, 59. (de iure lib.)

(25) Fr. 16. D. l. c.

(26) Nihil autem intererat, quae causa

impediret ius capiendi. Fr. 13. §. 2. D. l. c.

(27) Fr. 13. §. 9. D. eodem.

(28) *Fragm. de iure fisci §. 1. Fr. 2. §. ult. Fr. 13. §. 10. D. l. c.*

Προβασκάντων pari vitio Gl. Labbei. De hac voce apposite Phrynichus Bekkeri Aneed. T. I. p. 30. Βασκάνιον: ὃ οἱ ἀμαθεῖς προβασκάνιον. ἔστι δέ τι ἀνθρωποειδὲς κητλοκεύασμα, βραχὺ παρηλλαγμένον τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν, ὃ προ τῶν ἐργαστηρίων οἱ χειρῶνακτες κρεμάννυσι τὸ μὴ βασκαίνεσθαι αὐτῶν τὴν ἐργασίαν. Cf. Lob. ad Phrynich. p. 86. unde Phavorinus corrigendus. Vide etiam intpp. Polluc. VII, 108. Non alienum erit, phallum illum hic commemorare, qui in eruta Pompeianorum urbe supra domus ianuam conspicitur: in quo explicando qui de Iupanari cogitarunt, operam egregie perdidērunt. Dein pro Λούκιος, quod cum Gl. Labb. pariter codex noster, Λουκίλλιος emendavimus, Vulcanium sequuti, quem apte citat Heinrichius Addendis ad Consentii Artem a Cramero editam. Namque hic locus exstat in Lucil. Sat. XXX a Festo v. *Tagax* et Nonio Marcell. p. 485 citatus:

Et mutoni? manum perscribere posse tagacem.

Miro Nonii codices consensu *Musconis* pro *mutoni* et mox *posset Aiace*, vel *posset Aiacem*: neque aliter Parisiensis unus a me inspectus.

§§. 27. 28.

Haud aliter Labbeus: nec tamen quidquam perspicio in his tenebris. Vix enim una vox sana esse videtur. Pro *Θησιονῶ*, quod nomen est inauditum, Codex *ΘΛΗCIONῶ*, h. e. *Θλησιονων*: scilicet Graeca in Codice accentibus carent. Pro *defoventum*, quod nihili videtur, vix dubito, quin *defomentum* legendum sit, unde Lexica augeri possunt, ita ut de fomento capitis intelligatur, quo *κεφαλαία* ducere videtur, nisi hoc vocabulum quis pro *κεφαλαλγίας* genere habere velit, de qua passione vide Coel. Aurelian. de morb. chron. I, 1. Foesii Oecon. Hipp. v. *κεφαλαία* p. 335.

At paullo nunc maiora canamus. Instant enim novi rectoris rite legendi solemnia quotannis indicenda, quae quanto ab iis, qui litterarum bonarum cultores et aestimatores iure nominantur, graviora semper habita sunt, semperque habebuntur, tanto laetiores spem salutis perennis nobis augurantur, quandoquidem philosophorum, quotquot aevum vidit, omnium sapientissimus vere

vere olim pronunciavit, *florere civitates, si aut philosophi imperarent aut imperatores philosopharentur*; quam sententiam, quantumvis nonnullis perversam visam, divus Antoninus et ipse imperator et philosophus facto comprobata dedit, cuius in ore illa Platonis semper fuisse Iulius Capitolinus testatur. Et enim summum huius litterariae civitatis imperium in eo est ut ad virum *Φιλοσοφώτατον* deferatur,

IOSEPHUM HILLEBRAND

Philosophiae doctorem et professorem publicum ordinarium

Paedagogiarum longe meritissimum,

qui ut est omni virtutum genere conspicuus, ita dictis factisque graviter exprimere illa Senecae semper studuit: *Nullos autem peius mereri de omnibus mortalibus iudico, quam qui philosophiam velut aliquod artificium venale didicerunt: qui aliter vivunt, quam vivendum esse praecipunt. Exempla enim seipsos inutilis disciplinae circumferunt, nulli non vitio quod insequuntur, obnoxii.* Quibus solemnibus frequentes adesse ut velitis, litterarum cultores omnium ordinum splendidissimi nostrarumque rerum patroni amplissimi, vehementer oramus atque obsecramus.

